BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

10

CENSURAE, ET PRAECEPTA
HOMINIBUS SOCIETATIS IMPOSITA

CAPUT PRIMUM.

Quæ pertinent ad Electionem Præpoſiti Generalis, Vicarii, & Aſſiſtentium, & Congregationem Procuratorum.

CENSURAE.

AB obitu Præpoſiti Generalis, uſque ad novi electionem, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, tenetur Vicario manifeſtare, vel alicui ex antiquioribus Profeſſis, quicunque ſcit, aliquem Generalatum affectaſſe, vel etiam tunc affectare, directè, vel indirectè id procurando, vel ſigno aliquo id declarando. *Conſt. par. 8. cap.6. §.2. & in Formul. Cong. Gener. §. 21.*

2 Qui in judicio, de cujuſquam ambitu, aliter atque in animo ſentit, ſententiam dicit; ipſo facto excommunicationem incurrit. *Conſt. loc. cit. in Declar. lit. A.*

3 Qui poſt promulgationem Generalis electi, ſuffragium ſuum mutat, vel peracta

Digitized by Google

electione, aliam tentat; incidit in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, aliaſque graves cenſuras ſubibit, arbitrio Societatis. *Ibid. par.* 8. *cap.* 7. *§.* 8. *& in Formul. Congr. Gener. §.* 51.

4 Excommunicatio propoſita, num. 1. extenditur primò, ad eos, qui darent informationem non ſinceram. Demum ambitioſos pro ſe, vel pro aliis, ipſo facto in excommunicationem incidere, decretum eſt. *Prima Congr. Gen. dec.* 8. *ante electionem*.

Extenditur ſecundò, in omnibus de Societate, quicunque, vel ubicunque ſint; qui, ab obitu Præpoſiti Generalis ad electionem uſque, pro ſe, vel pro aliis ambierint, aut qui cum perſonis Societatis, aut cum externis, cujuſcumque ſtatus, aut conditionis ſint, egerint, aut tractaverint, vel literas, aut favorem Prælatorum, Principum, aut aliorum procuraverint, ad quamvis nationem, vel particularem perſonam promovendam ad Generalatum, vel excludendam. *Form. Congr. Gen. §.* 21.

Extenditur tertiò, in illos, qui ſinceritatem, vel libertatem electionis, juxtà Inſtitutum Societatis Noſtræ, quoquo modo, directè vel indirectè, impedire, vel corrumpere conati fuerint. *Ibid. §.* 21.

Extenditur quartò, ad informationem non

non ſinceram, eam ſcilicet, quæ ſtudiosè mendax eſt, mala cum intentione, & in re gravi. *Form. Cong. Gen. §. 21.*

5 Quicunque, vel ex Congregatione fuerit, vel non, in informationibus, vel extra illas, ambitioſe egerit, ut vel ipſe, vel alius Aſſiſtens eligatur, aut etiam alius excludatur; excommunicatur ipſo facto, & reſervatur Præpoſito Generali. *Form. Congreg. Gen. §. 82.*

6 In electione Vicarii eadem cenſura includuntur ob ambitum, pro ſe, vel pro aliis, quæ dicta eſt in electione Præpoſiti Generalis, cum extenſione 2. 3. & 4. de qua dictum eſt. *num.* 4. *Form. ad eligend. Vicarium, §. 6*

PRAECEPTA.

1 QUi grave aliquid in informationibus ad Generalem eligendum, quod ſecretum requirat, intellexerit; in virtute ſanctæ obedientiæ ſecretum teneat, præterquam cum Electoribus. *Form. Cong. Gen. §. 34.*

2 Qui ſciverit, quempiam Aſſiſtentis officium, vel ſibi, vel aliis ambire, ſive agere, ut alius excludatur; in virtute ſanctæ obedientiæ tenetur ad Generalem deferre. *Ib. §. 2.*

3 In virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur, ut quod in informationibus intelle-

ctum eſt in electione Aſſiſtentium, in re, quæ Societati, vel alicui ejus perſonæ, aliquid ignominiæ, vel detrimenti afferre poſſit; ſecretum teneatur. *Ibid. §. 3.*

4 Item in Congregatione Procuratorum, dum capitur informatio de ſtatu Societatis, ut videatur, ſit necne cogenda Congregatio Generalis; ſi quis audierit aliquid, quod ſecretum teneri debeat; cum aliis, præterquam cum iis, qui ſuffragium habent, jubetur in virtute ſanctæ obedientiæ ſilentium tenere: in re tamen tantùm gravi, non in qualibet. *Form. Cong. Prov. c. 1. §. 7.*

5 Præcipitur omnibus Noſtris in virtute ſanctæ obedientiæ, ne quis a die indictæ Congregationis Provincialis vel per ſe, vel per alium directè, vel indirectè procuret, ut in electorem, vel ſubſtitutum pro Congregatione Generali, vel in Procuratorem aut ſubſtitutum pro Congregatione Procuratorum ipſe, vel alius eligatur, aut alius excludatur; & ne quis pro ſe ſuffragium ferat. *Co. 9. D. 24. Form. Con. Provinc. Ca. 3. n. 23.*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Quæ pertinent ad Inſtituti noſtri conſervationem.

CENSURAE.

1 Quicumque ſive extra, ſive intra Societatem, Inſtitutum ipſius, ſeu Conſtitutiones, vel Conſtitutionem Gregorii XIII. quæ incipit *Aſcendente*, vel aliquid ex his quovis quæſito colore, directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere auſus fuerit; incidit in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, & inhabilitatis ad officia, & beneficia ſecularia, & quorumvis Ordinum Regularium, eo ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendam, Sedi Apoſtolicæ reſervatam. *Greg. XIII. Conſt.* Aſcendente, &c.

2 Qui Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, aut Decreta, vel ex eis quidpiam, vel aliud quid prædictum concernens, majoris boni, aut zeli, aut quovis alio quæſito colore, aut prætextu, directè, vel indirectè impugnaverit, vel curaverit, ut immutetur, alteretur, aut forma alia, ſeu ratio circa ea inducatur, vel contra: aut præter ea, ſeu quævis alia ipſius Inſtituti ſubſtantialia agat, vel quidpiam ulli alii, præterquam ſeu Romano Pontifici (idque imme-

Digitized by Google

diatè) vel per Legatum, aut Nunclum Apoſtolicum, ſeu Congregationi, aut Præpoſito Generali, addendum, minuendum, aut immutandum, ſive alterandum, proponere quoquomodo auſus fuerit. *Conſt. Greg. XIV.* Quæ autem ſint ſubſtantialia Inſtituti, vide in 5. *Congr. Dec.* 44. 46. & 48.

PRAECEPTA.

1 DIſtrictiùs inhibetur, ne quis, ſive extra, ſive intra Societatem, niſi de Præpoſiti Generalis, aut inferiorum Præpoſitorum licentia, notationes, declarationes, gloſſas, vel ſcholia ulla ſuper Inſtituto, Conſtitutionibus, Privilegiis, aut aliis contentis in Conſtitutione Greg. XIV. ſupradicta, facere, vel ea (niſi quantum verba ſonant) interpretari, aut de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquam injicere, vel in controverſiam, aut dubium revocare, audeat quoquo modo: nec gloſſas, aut interpretationes, ſive impreſſas, ſive ſcriptas, ad id pertinentes, legere, docere, aliiſve tradere, vendere, vel apud ſe retinere præſumat. *Greg. XIV. in ead. Conſt.*

2 Quicunque reſciverint, aut deprehenderint, quoſcunque machinari aliquid, aut machinatos fuiſſe, contra Inſtitutum Societatis: quàm primùm poterunt, Præpoſito

to Generali tam authores, quam verè complices, fideliter deferant. Ita præcipitur omnibus virtute ſanctæ obedientiæ, *in 5. Cong. Dec. 4. & can. 20.*

3 Extenditur hoc Decretum, ut & Noſtri omnes comprehendantur, qui quorumcumque hominum, ſive de Societate ſint, ſive de ipſa non ſint, opera utuntur ad Societatis pacem perturbandam. Et Provincialibus præceptum imponitur, ut in ejuſmodi perturbatores inquirant, & ad Patrem Generalem deferant, nec minùs fortiter, quam fideliter in ea re munere ſuo fungantur. *Cong. 6. Dec. 1.*

CAPUT TERTIUM.

Excommunicationes, quæ pertinent ad Religionem, & Religioſa Vota, in communi.

1 QUicumque de Societate, etiam Profeſſi, quos judicaverit Præpoſitus Generalis, à Societate dimitti poſſunt, de ipſius licentia, non tantùm ad Carthuſienſium, ſed & quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris obſervantiæ Ordinem, per ipſum Præpoſitum Generalem illis præſcribendum, de conſenſu tamen Superiorum loci illius,

quò

quò deſtinabuntur, demigrare: in eiſque Profeſſionem, per illius Monachos, alioſque Regulares emitti ſolitam, emittere, habitum ſuſcipere, eorumque conſueta uti diſciplina. Ipſis ergo inhibetur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quid contra præſentium tenorem audeant attentare. *Greg. XIII. Diplom. de transferendis*.

2 Si quis, poſt emiſſa Vota ſecundùm Societatis Conſtitutiones, ab ea ad ſeculum receſſerint, etiam prætextu cujuſvis Indulti conceſſi, aut concedendi, abſque expreſſa ſui Superioris licentia; ad id ab eo ſpecialiter obtenta, ipſo facto eſt excommunicatus, & abſolvi nequit, niſi à Romano Pontifice, vel Superiore Societatis. *Pius V. Bulla contra Apoſtatas*.

3 Deficientes a Societate poſt tria Vota, etſi ſimplicia, elapſo biennio probationis, emiſſa; tanquam veri Apoſtatæ puniri poſſunt, & excommunicationi latæ Sententiæ, atque aliis Apoſtatarum pœnis ſubjacent, Sedi Apoſtolicæ, vel Præpoſito Generali Societatis, reſervatis. *Habetur in Conſt.* Aſcendente, &c. *Greg. XIII.*

4 Noſtri ab Ordine recedentes, niſi, poſt mandatum cujuſvis Superioris eiſdem factum, intra octo dies proximos ad obedien-

dientiam redierint ; excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrunt, ſoli Summo Pontifici reſervatam : eidemque ſententiæ ſubjacent omnes, qui iis auxilium, vel favorem præſtiterint. *In Comp. V. Apoſtata §. 3. per communicat.*

5 Nemo, poſt emiſſa Vota ſecundùm Societatis Conſtitutiones, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor ſit ; ad alium Ordinem, præterquam Carthuſienſium, niſi de expreſſa licentia ipſius Præpoſiti Generalis, aut Sedis Apoſtolicæ, tranſire poteſt. *Paulus III. in Indultis, & Privilegiis*: Idem cavetur, & latiùs confirmatur à Pio IV. *in literis contra Apoſtatas per Pium V. editis*, propoſita pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, Romano Pontifici, vel Superiori Societatis reſervatæ, tam in Religioſos recipientes, quam in ipſos receptos.

6 Jam verò, qui ſine Præpoſiti Generalis facultate ad Carthuſienſes tranſiret ; eaſdem pœnas incurreret : per communicationem Privilegii Carmelitarum Diſcalceatorum. *Conceſſit eis Paulus V.* Vide Compend. Privileg. §. 10.

7 Tranſeuntes ad Carthuſienſes intra tres menſes, ad alium verò Ordinem intra tempus eis à Superiore ſuo præfigendum ; dictos Ordines actualiter ingredi : & ſi in eis Apostat

per-

permanere nolint, aut non poſſint abſque ulla mora ad Societatem regredi tenentur, ſub pœna excommunicationis eodem modo reſervatæ: quam tam ipſi, quàm illos recipientes, vel eis auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes, etiam incurrunt, *In Compend. V. Apoſtata* §. 9. *ex litteris Pii V. contra Apoſtatas*,

8 Qui vult tranſire ad Carthuſienſium Ordinem, tribus menſibus ei a Superiore præſcriptis, ſi intra eos non ingrediatur, vel non admittatur, vel non perſeveret; non ſolùm redire tenetur ad Societatem, ſed etiam ei non licet ampliùs, reſpectu Carthuſiæ, a Societate, ſine Præpoſiti ejus conſenſu, recedere. Qui ſecus fecerit, in excommunicationis, & alias Apoſtatarum cenſuras, & pœnas, eo ipſo incurret: a quibus non niſi a Romano Pontifice, vel a Generali Societatis abſolvi poterit. *Greg. XIII. literis propriis de hac re*.

9 Omnibus etiam Apoſtatarum pœnis; ac cenſuris in foro conſcientiæ ſubjacent quicunque aut cauſis non veris, fraude, ac dolo, aut delictis gravibus ea mente perpetratis, dimiſſionem impetrant: & irrita eſt dimiſſio. *In Septima Congr. Dec.* 24. §. 4. Et, ſi hoc in exteriori foro conſtiterit; poſsunt Superiores contra eos agere, tan-

tanquam contra veros Apoſtatas. *Ibidem*.

10 Excommunicantur, qui, inconſulto Provinciali, externos de dimiſſione ſua conſulunt, & qui eorum auxilio, & interceſſione ad eam impetrandam utuntur. Reſervatur excommunicatio Provinciali. *Dec. eod. §. 2.*

CAPUT QUARTUM.

Excommunicationes, quæ pertinent ad Vota in particulari.

Ad Votum Obedientiæ.

NOſtri non poſſunt à Præpoſito Generali, aut Viſitatoribus per ipſum deputatis, ab eorum reformationibus, ſeu correctionibus appellare, etiam ad Sedem Apoſtolicam, niſi in Generali Congregatione, & in caſu denegatæ juſtitiæ, aut pro notoria injuſtitia, ſub pœna excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ. *Conceſſum eſt Ciſtercienſibus, & Societati per communicationem. V. Appellatio §. 2.*

Ad Votum Caſtitatis.

IN virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, & privationis lecturæ, vocis activæ, & paſſivæ, necnon in-

inhabilitatis ad quælibet officia, aliiſque poenis arbitrio Præpoſiti Generalis infligendis præcipitur, ne quis in Societate, publicè, vel privatim, non modò, ut veram, & probabilem; ſed ne ut tolerabilem quidem, ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt in re venerea exiguam aliquam delectationem, deliberatè quæſitam, propter levitatem materiæ excuſari a mortali: aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundùm illàm conſilium cuiquam det. Itemque ſi quis aliquem ex Noſtris contra prædicta deliquiſſe noverit; tenetur in virtute ſanctæ obedientiæ aperire. *P. Claudius Aquaviva anno* 1612. 12. *April.* Idem præceptum extenditur ad delectationem veneream deliberatè admiſſàm. *Co.* 10. *D.* 24.

Ad Votum Paupertatis.

UT variis periculis, & incomodis occurratur, prohibetur Noſtris in virtute ſanctæ obedientiæ ne quis ſine expreſſà facultate Superioris pro ſe, vel pro aliis ab ullo externo mutuam accipiat pecũniam etiam in uſus pios expendendam. *Co.* 16. *D.* 28.

* * * *
* *

CA-

CAPUT QUINTUM.

Excommunicatio de Tyrannicidio.

1 PRæcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quævis officia, ſuſpenſionis a divinis, & aliis Præpoſiti Generalis arbitrio reſervatis; ne quis noſtræ Societatis, publicè, vel privatim, prælegendo, ſeu conſulendo, multò etiam minùs libros conſcribendo, affirmare præſumat, licitum eſſe cuique perſonæ, quocunque prætextu tyrannidis, Reges, aut Principes occidere, ſeu mortem eis machinari. Provinciales autem, qui aliquid eorum reſciverint, nec emendaverint, aut non prævenerint incommoda, quæ ex contrario ſequi poſſent, efficiendo, ut hoc Decretum ſanctè obſervetur; non modò prædictas pœnas incurrere, ſed etiam officio privari voluit. *P. Claudius, epiſt. ann.* 1614. 1. *Aug.*

PRAECEPTUM PROVINCIALIBUS

Circa editionem librorum.

2 IN virtute ſanctæ obedientiæ commendatur Provincialibus, ne in ſua Provin-

vincia quidquam ; quacunque occaſione, aut lingua, evulgari patiantur a Noſtris, in quo de poteſtate Summi Pontificis ſupra Reges, Principes, aut de Tyrannicidio agatur, niſi prius recognitum Romæ, & probatum ſit. *Ex epiſt. P. Claudii anno* 1642. 2. *Aug.*

PRAECEPTUM OMNIBUS

De non tractandis negotiis Principum.

3 IN virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur Noſtris omnibus, ne quis publicis, & ſecularibus Principum negotiis: quæ ad rationem ſtatus pertinent, ulla ratione ſe immiſceat, nec quantumvis per quoſcunque requiſitus, aut rogatus, ejuſmodi politicas res tractandas ſuſcipiat. *Quinta Congreg. can.* 12. *Decr.* 47. *&* 79. Quæ autem ſint hæc negotia, vide in *Congr. Septima, Decr.* 46.

PRAECEPTUM OMNIBUS

De non edendis in lucem libris.

JUxtà Ordinationem P. Claudii bo. me. factam 5. Februarii 1613. (ne libelli, & opu-

opuſcula de poteſtate Summi Pontificis ſuper Principes, eos deponendi, &c. edantur in lucem, niſi prius Romæ recognita, & approbata) iterum ordinamus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ne quis in poſterùm hanc materiam tractet, aut libris editis, aut ſcriptis quibuſcunque, nec publicè diſputet, aut doceat in ſcholis: ut occaſiones omnes offenſionis, & quærelarum præcidantur. Quam Ordinationem, & legi volumus Magiſtris, & Patribus, & tradi librorum Cenſoribus in Provincia conſtitutis, ſervarique penes ordinarios Reviſores. *Ex epiſtola P. N. Mutii, anno 1626. 13. Auguſti.*

PRAECEPTUM

De non procurandis Externorum interceſſionibus.

PRæcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ Noſtris omnibus ne quis procuret Externorum interceſſiones, quæ liberam Superioribus gubernationem non relinquant. *P. Mutius an. 1643. 7. Febr. Co. 8. D. 24. C. 9. D. 24. C. 10. D. 18.*

Tranſgreſſio hujus præcepti eſt caſus reſervatus Superiori. *C. 16. D. 17.*

Ex-

Excipiuntur tamen interceſſiones eorum, qui ratione univerſalis regiminis in Eccleſia etiam in Societatem noſtram habent auctoritatem. *P. Oliva an.* 1662. 17. *Junii.*

Alia præcepta, quæ in libello hoc non leguntur, vel ſunt abrogata, vel totam Societatem non obligant.

ROMAE, Typis Antonii de Rubeis. MDCCLII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google